



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

VIII. D. Severinvs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

Arianorum consortia non vitavit, in hæresin Arianam incidit, condemnatus propterea anno 348. in Synodo Coloniensi, D. Julii Pontificis loco sententiam supremam dicente D. Maximo Archi-Episcopo Trevirensi. Annis 33. sedisse, ad annum 348. fertur. *Vide Broverum & Egidium Gelenium Historicum Coloniens.*

### VIII. D. SEVERINVS.

**D** Severinus Burdegalæ in Aquitania natus, eodem in Concilio Coloniensi Euphratis loco electus Episcopus, Arianis tantò constantiùs obstitit, quantò remissiùs Euphrates. Inter vivos strenuè rem agente Severino, beatissimis concessit fatis Turonensium Præsul D. Martinus, cujus animam meritis ditissimam à cœlestibus geniis supra fydera elevari vidit, dum in campo suburbano, quem Martini campum vulgò appellant, ad cœlos levavit oculos. Id etiam notavit antiquitas, & meminit non minùs vulgus hodie, hominem solitudini & multis virtutibus assuetum, atque idcirco angeli tutelaris conspectu crebrò ad constantiam animatum, id scire desiderâsse ardentius, num majorem virtute virum vicinus orbis haberet, ut hunc liceret æmulari sanctè & imitari. Adesse in vicinia Severinum reponente cœlesti genio, mox cucurrit æmulus eremicola, conspecturus cominus, qualem se gereret vir major virtute Severinus. At dum corpus reficientem offendit, & ab epulis longè diversa expectavit, jussus est legere, atque intelligere verba magni Doctoris gentium Pauli Rom. c. 14. *qui non manducat, manducantem non judicet; Deus enim illum assumpsit.* Episcopus fuit an. 60. mort. an. 408.

## SECULUM V.

### IX. D. EVERGISLVS.

**N**atione Tungrensis D. Evergislus, inter S. Severini discipulos adeò profecit, ut qualem Successorem in Coloniensi